

to inter artes Romanæ sedis referas quod nunquam cum Imperatore simul, & cum Rege quoquam Galliaë armis disceptarint aut calamo, quin potius eò semper Antistites summos respexisse, ne Regum Galliaë animos à se alieniores redderent, quod minæ omni fermè tempore de peculiari Patriarcha per Galliam constituendo auditæ, altius mentem Pontificum percellerent. Sed in rem præsentem redeamus, atq; necessitudinem Clementis & Philippi verbis *Henrici Spondani Continuat. Baron. p. m. 474. 478. simulq; facta illorū temporū exponam.* Ludovicus autem, hinc cupiens reconciliari, missis ad hoc legatis tam ad Pontificem, quàm etiam ad Philippum Francorum Regem, qui opem suam aliàs ei spoponderat; (à quo tamen ipsum in his derelictum fuisse, quinimò & ingratiàm ipsius Pontificem hæc in Ludovicum egisse, auctores Germani queruntur) illinc à Schismaticis seductus pag. 478. Anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, Indictione duodecimâ, cum missi à Ludovico Bavaro Legati ad Clementem Pontificem & Philippum Francorum Regem (quod anno superiori innuimus) pro absolute quibuscunq; demùm conditionibus impetrandâ. Humbertus Delphinus ipsius Ludovici avunculus, Augustensis, & Bambergensis Ecclesiarum Præpositi, & Ulricus ipsius Cancellarius duras has conditiones à se ejus nomine approbatas retulissent; ut scilicet confiteretur omnes hæreses & errores de quibus accusabatur; resignaret Imperium, non resumendum nisi ex gratiâ Pontificis; seque ac filios suos, bona, & universum statum suum in manus & voluntatem Pontificis repone- ret, aliq; multa de statu Imperii insolita faceret, iis acceptis Ludovicus & ad Electores, ceterosq; Imperii Principes ac civitates transmisit; cum intellexisset ferè omnes vehementi inde indignatione commotos. Conventum Francofordiæ habuit mense Septembri. Quo cum ipse præseferret paratum se esse Pontifici obtemperare, si ipsis ita videretur; de plerorumq; consilio decretum est, prædictas conditiones nequaquam acceptandas esse, utpotè in pernicem & destructionem Imperii, & contra juramentum tam ab ipsis quàm à Ludovico Imperio præstitum conceptas: mittendosq; ad Pontificem & collegium Cardinalium legatos, rogatum ut ab iis desisterent: si verò nolent alium conventum celebratum iri in Rentz super Rhenum diœcesis Treverensis, ad deliberandum cum ipso Ludovico quid porro agendum & qualiter hujusmodi